


He

K 182 b

a) Fabriini's foli

not 121-211



2

BIBLIOTHECAS EREMITARVM VETERVM

D. O. M. A.

Præente

JO. ANDREA SCHMIDT.

ABBATE MARIAEVALLENSI

SS. Theol. D. ejusdemque & Antiquitatum
Sacrarum Prof. Publ. Ordinis sui

Senjore

eruditorum oculis perlustrandas
dabit

Responsum Autor

ARNOLDVS DIEDERICVS Engelbrecht,
Hannoveranus,

Ad d. Maji MDCCI.



T 154

Helmstadi,

Typis Georg-Wolfg. HammI, Acad. Typog.

BIBLIOTHECA
EREMITARVM
AETERNVM

D. O. M. A.

Præcōdūe

IO. ANDREA SCHMIDT.

ABBATÆ MARIAE VALLENSIS
22. Iulij. D. Sibardus & Audimuntum
Sacrum Pœplicum Ordine in

* Sculpsit

Sculpsit enim pœplicus

depic

Raffaelum apud

TRINOTAS DEDICATÆ MUNIFICENTIA

Huguenotæ

V. a. M. MDCC.

C. G. C.

Huguenotæ

J. a. Georg. Wolfgang. Huguenotæ. V. a. T. 168.

REVERENDISSIMO
DOMINO
Dn. GERHARDO
LIBERI ET IMPERIALIS
COENOBII LOCCVMENSIS ABBATI
VENERABILI
ECCLESIARVM EVANGELICARVM
ET TOTIVS CLERI IN ELECTORATV
BRVNSVICensi ET LVNEBVRGENSI
DIRECTORI SVPREMO
CONSILIARIO ECCLESIASTICO
EXCELLENTISSIMO
STATVVMQVE PROVINCIALIVM CA-
LENBERGENSIVM PRIMATI
DOMINO AC PATRONO SVO
MAGNO
Hanc dissertationem historico ecclesiasticam
D. C. A.
ARNOLDVS DIEDERICVS Engelbrecht.

Reverendissime Domine

Concede bomini maximopere Tibi obstricto atque obligato, ut ardua tua, quibus & patriz & ecclie bono implicaris, negotia interpellare sibi sumat. Singularis quippe bonitatis tua fiducia fretus, & inustati affectus, eo facilius audaciae suae veniam se impetraturum esse sperat, quo magis cognitum babet atque compertum, Te sepositis concatenatis interdum laboribus tuis historiarum deliciis aliquid temporis impertiri. Quae consuetudo tua efficit, ut mihi promiserim hunc laborem meum oculis tuis baud fore ingratum, imprimis si considero beneficiorum tuorum magnitudinem, quibus me & universam familiam nostram ornasti, ita ut ipsius aut Tullii aut Demosthenis facundia instructus nec mente illa omnia repetere nec verbis satis deprehendere possum. Itaque summis tuis in me meritis hoc addes, ut disputatio praesens nomini tuo reverendissimo bumillima observantia inscribatur. Quod si a benignitate tua impetrari sines, lubentissime in benevolo tuo affectu acquiescam nullumque mihi tempus erit jucundius, quam innumeris tua in me beneficia grata & tueri & conservare mente. Deus T.O.M. te servet sue ecclie, literato orbi, cœnobio, omnibusque subditis atque clientibus tuis quam diutissime. In Acad. Julia:
d. III. Maii 1701.



I. N. J.

S. I.

αρπειον της Φυλαξ fronti bibliothecæ a se extru-
etæ Osymanduam regem Ægypti inscripsit
se , Diodorus Siculus memorie prodidit,
& hodie quoque in fotibus bibliothecæ pu-
blicæ , quæ Jenæ floret , eadem verba lapidi insculpta
visuntur . Poggius Florentinus inscriptionem hanc
interpretatur , medicamentum animi , alii tamen ma-
lunt reddere animi medicinam , quod artes , quæ ad hu-
manitatem pertinent , omnesque disciplinæ , quas libri
& bibliothecæ custodiunt , animi ægritudinibus meden-
dis sint aptissimi . Forsan autem commodissime Lipsius
in syntagm. de biblioth. cap. i. p. m. 2. per medicam animi
*officinam verba ista explicitur . Nemo enim negabit *ιαρπειον**
vere esse bibliothecas , memor eam esse naturam illarum ,
ut , si animum vel ignorantia premat , vel curæ & soli-
citudines , in tota vita hominem comitantes , affligant ,
secure ad bibliothecas liceat confugere , illisque , ve-
luti medicamento , omnes ex animo tenebras tristesq;
pellere cogitationes . Libri quippe sunt illi muti do-
ctores qui nos instruunt , ad illos aditus semper patet ,
non se abscondunt , sed usibus nostris magna cum vo-
luptate se exponunt . Sunt bibliothecæ nihil aliud
quam decantata Phœbi cortina , unde olim interrogan-
tes sua accipiebant responsa . Quod si in nos ruunt no-
vercantis fortunæ turbines , bibliothecæ quoque haud
parum

parum præbebunt solatii. Illæ enim veram pròmunt philosophiam, quæ docet miserum esse posse neminem, qui sua se involvat virtute. Sic quoque in ipsa nostra miseria sumus beati bibliothecarum beneficio, libris elegantioribus medicinam subministrantibus, ut animus ad omnes casus itusque præparetur & a cunctis follitudo[n]ibus, quantum fieri potest, reddatur liber. Cum itaque tanta sit bibliothecarum utilitas & innocens quædam animi recreatio, haud raro in mentem venit, quomodo eremitæ qui in solitudines & loca ab omnibus hominibus deserta abierunt, omni carentes societate, tempus transfigere potuerint, animique levamen omni humano ut plurimum destituti auxilio sibi querere, si amabile istud librorum consortium ab illis lejuncutum fuit, aut si adfuit, qualis eorum fuerit apparatus.

§. II. Talia animo intuens, placuit ex urbano strepitu hominumque consuetudine ad eremitas confugere, earumque cellulas, & pulpita libris recondendis apta, mente animoque perlustrare. Ut vero quis rectius intelligat nostram sententiam, quid per eremitas velimus, sciendum est eremitas esse genus monachorum, hi vero sic dicti a solitudine, a græco μέντος, quod est solus, ita enim Hieronymus Epist. 3. ad Paulinum; Sin autem cupis esse, quod diceris monachus, id est solus, quid facis in urbibus, qua utique non sunt solorum habitacula, sed multorum. Duo autem præcipua monachorum genera ab initio fuerunt, anachoretæ, & coenobita; quorum illi eremum & solitudinem amarunt, ante disciplinæ monasticæ expertes, & dicti sunt eremiti; hi vero horrorem vastæ solitudinis non ferentes in unum convenere, coenobia seu monasteria ædificaverunt. Utrumque laudat Gregorius Nazianzenus, in laudem Basillii Or. 21. Quorum alii prorsus vitam solitariam
et ab

& ab hominum societate remotam agunt, sicut ipsorum tantum
& Dei colloquio fruentes, atque hanc duntaxat terra partem
pro mundo habentes, quam in solitudine cognitam habent, alii
autem caritatis legem per communionem & societatem co-
lentes solitarii simul & cœnobita sunt. Sed & hi non lon-
ge ab eremo habitare solebant, ut Sulpitius Severus de
monachis oriental. dial. 2. nos docet: *Haud longe*, inquit,
ab eremo, contigua Nilo multa sunt monasteria, habitant in
uno loco plerique centeni, quibus summum jus est sub abbatis
imperio vivere, nihil arbitrio suo agere, per omnia ad naturam
illiusque potestarem pendere, ex his si qui majorem virtutem
mentis conceperint, aut facturi solitariam vitam se ad ere-
mum conferant, non nisi permittente abbate discedunt, &c.
His generibus in Ægypto tertium accessit, quod Ægy-
ptia lingua vocabant, Remoboth & Sarabaitas, sed
nec Hieronymo ad Eustochium Epist. 22, nec Casiano
Coll. 18. cap. 4. laudatum. Quamvis autem primis tem-
poribus eremita & anachoretæ promiscue accipieban-
tur, nihilominus quibusdam placuit illud ponere di-
scrimen, quod eremita proprie sint, qui statim è se-
culo migrant, ad solitudinem; anachoretæ autem qui
post diutinam in monasterio exercitationem, studio
majoris perfectionis de licentia abbatis secedunt in ere-
num. Alii hanc differentiam producunt hos inter
atque illos, quasi anachoretæ sint qui per sylvas va-
gantur incertis fedibus, eremita vero qui certis fe-
dibus contenti sint in cellulis. Sed ut hæc omnia suo
relinquamus loco, eremitarum certe, quorum potior no-
bis nunc habenda est ratio, genera fuerunt varia, pro
vitæ genere vario. Alii secreta solitudinis petentes, cel-
lulas seu tuguria exstruebant, in quibus orationi & lectio-
ni & cœlestium contemplationi assidui operam dabant,
ut Antonius, Hilarion & alii, vid. Hieron. in vita Hila-
rionis, & de Pachomio Palladiu in Lauziacis cap. 82. Alii
in

in monumentis & sepulchris mortuorum , cellarium
vice, se includebant religionis causa, inde dicti μεμονόται,
quales fuerunt, Theodorus, & Paulus Bythinius. Alii
cælo utentes pro teſto per deserta vagabantur incertis
ſedibus, herbarum radicibus se nutrientes, quos *blœnus* id
est sylvestres vocabant; videatur *Sorom.* H. E. 6. 33. p. 690.
Evagr. H. E. 1. 21. p. 278. Alii in columnis ſtabant, ſub Jove
perpetuas Deo offerentes preces, hinc *enītæ* dicti, quo-
rum princeps fuit Simeon Stylites. *Evagr.* 1. 31. Alii
etiam ſe humili & anguſtiori cellulæ veluti perpetuae
cufodiæ, ultro includebant, quos κατεργητήριοι inclu-
ſos Græci vocabant. His alii adjungunt *διοικάτοις*, in-
ſomnes, ſemper vigilantes, qui perpetuas diu noctuque
per vices diuīſis officiis Deo laudes canebant, cœno-
bitis potius annumerandi. Vid. de his eremitarum ge-
neribus *Anton.* *Datinus* *Altiserra* orig. rei monast. lib.
1. cap. 6. & 7. Horum igitur eremitarum, cuiuscunq; tan-
dem fuerint generis, bibliothecas perlustraturi, tres eo-
rum nos inveniſſe classes putamus, quarum *prima* exhi-
bebit illos, qui omnibus deſtituti libris scriptis, meditatio-
nibus ſacris non duntaxat ſeriis erant intenti, ſed & alias
quoque & ipſi conſcriperunt: *Altera* eorum qui uno
tantum libro ſcripto gaudebant, eum die, nocteque
volventes: *Tertia* ſiſtet illos, qui libros varios po-
ſederunt, iisque interdum propria ſua ſcripta addide-
runt. Sit ergo primo

BIBLIOTHECA EREMITARUM ΑΒΙΒΑΟΣ, ALIORUM SCRIPTIS VACVA.

§. III. Talem habuit *Antonius* omnium monachorūm pater & princeps, natione Ægyptius, cuius cibus
panis tantum cum ſale, potus aqua, neque hæc niſi
ſole occidente ſumta. Jejuniis ille corpus ſuum ad ma-
ciem uſque vexabat, biduo & amplius interdum non
ſumens

sumens cibum, s^epe integras noctes orationibus intentus evigilavit. Erat literarum pene rudis, quas longe infra se habebat, bonam mentem, utpote literis antiquiore, operumque divinorum contemplatricem commendans. Ideoque cum philosophus quidam ejus aetatis καὶ πότες διακαπτεῖς ἔπειρ ὁ πάτερ, τῆς ἐκ τῶν βιβλίων παραποθίας ἐπηρμένος, τὸ έπονον ἔφη ὁ Αἰθόνος ἡ φιλόσοφη η φύσις τῶν γεγονότων ἐσὶ καὶ πάτερι, ὃς βέλομαι τὴν λόγου αγαγηθότου τῷ Θεῷ, quonodo, inquit, pater potes vivere librorum sodalitio privatus, cui ille meus, ait, liber o philosophus est natura rerum, que quidem praefeo est, quoties Dei verba legere voluero, ut refert Socrat. H. E. 4. 23, p. 235. Eo etiam respicere videtur vita Antonii ab Athanasio conscripta, licet, prout hodie exstat, haud parum sit interpolata. In ea narratur, quod ad mundi sapientes, qui eum irridere cupiebant, quasi literas ignoraret, talia verba fecerit: Ad hanc quo^mdo quæstionem responde, quid prius, sensus an literæ? & quid alterius exordium? Sensus oritur ex literis an literæ oriuntur ex sensu? Illis hoc affirmantibus, quod sensus esset auctor & inventor literarum, Antonius respondet, literis igitur ille non indiget, qui sana utitur ratione, & cui sensus est incolumis. Quis non post hanc disputationem inter præsentes tantam in imperito literarum animi sagacitatem sit admiratus? Vid. Athanal. Tom. 2. Opp. p. m. 474. Memorat quoque de eo Augustinus libro 1. de doctrina christiana in prologo. Nec propter ea sibi ab Antonio, sancto & perfecto viro, Aegyptio monacho, insultari debere, qui sine ulla scientia literarum, scripturas divinas, & memoriter erudiendo tenuisse, & prudenter cogitando intellectisse, pradicatur.

§. IV. Recte profecto Antonius mundum natumque librum appellavit magnum. Sicuti enim multa folia & literæ librum constituunt, ita mundus ex plurimis

plurimis a se invicem distinctis creaturis constat, in quo
unaquæque creatura est nihil aliud, quam litera, quam
summi Dei digitus pinxit, & formavit. Prima pars
hujus libri recenset opera primi diei a Deo creata, &
quæ adhuc quoque conservat, ne in pristinum nihilum
relabantur. Secunda pars sistit fata providentiaz, varia
exempla, historias, imo totum divinæ providentiaz a-
etum, terminum a Deo humano generi statutum, quo-
usque ille extendi debeat. Tertia est quasi repleta imo
circumscripta variis beneficiis, quibus nos ornavit di-
vinum numen & adhuc ornat, quæ arenam maris mul-
titudine sua longe superant. In quarta parte inveni-
mus opera extraordinaria, quibus memoriam sui reno-
vare Deus voluit, si eadem vetustate oblitterari animad-
vertit, uti fuit diluvium, septem reginarum civitatum
inflammatio, & eversio, statua salis, miraculosus il-
le & per totum terrarum orbem celeberrimus Israelita-
rum ex Ægypto discessus, solis quies tempore Iosuæ,
ejus retrogressus tempore Hiskiæ, eclipsis tempore
passionis Christi, manna, & panis ille cœlestis, fornax
ille Chaldaicus, Christi & discipulorum ejus miracula,
stella miraculosa magis in oriente visa, & quæ comes
eorum fuit Hierosolymis usque ad Bethlehem, prout
hæc eleganter deduxit in lache catechetico *Dannhane-*
russ p. i. p. m. 302. Quandoquidem igitur quot in orbe
sunt creaturæ, tot veluti sunt radii solis illius divini,
cœcus est, qui in tot radiis solem illum æternum non
agnoscit. Quandoquidem tot creaturæ, tot sint & vo-
ces inclamantes, surdus est, qui earum clamore non
excitatur ad eum cognoscendum, mutus est, qui vo-
cem non aperit ad eum laudandum, denique cum sin-
gulæ creaturæ sint effectus, indicia & testimonia boni-
tatem, nobilitatem, gloriam divinam manifeste demon-
strantia, insensibilis est, qui eum non amat nec cogno-
scit,

dimicq

scit. Philosophatus quoque ita fuit Augustinus, contra Faustum Manichæum scribens, lib. 33. cap. 20. At si universam creaturam ita primum adspiceret, ut autori Deo tribus, quasi legens magnum quendam librum naturæ verum, &c. Imo idem de doctrina christiana cap. 38. sine codicibus monachos, fide, spe & charitate instructos ad perfectiōnem quandam ascendere posse arbitratur. Homo itaque, inquis, fide, spe & charitate subinxus, eaque inconcuse retinens, non indiger scripturis nisi ad alios instruendos, itaque multi per hac tria etiam in solitudine, sine codicibus vivunt, quibus eamen quasi machina tanta fidei, spei, & charitatis inest instrutio, ut perfectum aliquid tenentes, ea qua sunt ex parte, non quarant. In eandem sententiam auctor Serm. ad fratres in eremo Serm. 22. scribit: Sed dicitis ecce multi sumus & prater Evodium, Alipium, & Pontianum, qui de scriptura sacra multum noverunt, omnes grossi & idiota sumus. Igitur doce nos orare. O fratres mei licet grossi sitis & subtilia non capiatis, non tamen debiliores vos reputo, sed cariores vos tenet ignaros, & humilos, quam sapientes, elatos, & superbos. Licit enim medullam scripturarum non intelligatis, sicut Evodius, Alipius, & Pontianus, qui Roma dum mecum commoratis sunt, tamen scripturarum corticem vos intelligere non dubitamus. Sed magis mireris lumina ecclesia naturam quasi magistrum fuisse secutos. Bernhardus enim saepe per jocum solebat dicere, in sylvarum secessu, non alios doctores se habuisse, quam quercus & fagos. Nam sic in vita Bernhardi lib. 1. cap. 4. legimus: Usque hodie quicquid in scripturis valet, quicquid in eis spiritualiter sentit, maxime in sylvis & in agris meditando, & orando se confitetur acceperisse, & in hoc nullos aliquando se habuisse magistros prater quercus & fagos, joco illo suo gratioſo inter amicos dicere solet.

S. V. Sed satis diu nos detinuit libri naturæ consideratio, redimus ergo ad Antonium nostrum, qui frequentes

quentes scripsit literas ad imperatorem Constantium de Athanasio, rogans ne Melitianis fidem haberet, sed eorum accusationes calumniarum loco duceret, Sozom. H.E. 2. 31. p. 293. Ad diversa in Ægypto monasteria apostolici sensus epistolas septem sermone Ægyptio dedit postea in græcum translatas, omnesque exhibit latine bibliotheca patrum, quarum prima agit de vocatione, secunda de insidiis diaboli, & de remediis quibus vitari possunt, tertia de beneficiis Dei erga homines, quarta de justificatione Jesu Christi, quinta de vigilantia christiana, sexta de cognitione sui ipsius, & terminatur per admonitionem adversus Arium. Ex istis epistolis sex sunt ad Arsinöitas perscriptæ, hoc est, ad monachos unius ex monasteriis Antonii quod erat Arsinoe, quamvis Hieronymus unius tantum epistolæ faciat mentionem, quæ ad ipsos sit missa, catal. script. eccles. cap. 68. Judicium Du Pin de his epistolis sequens est: Magna cum simplicitate omnes illæ epistolæ scriptæ sunt, cogitationes & locutiones parum in illis sunt elatae, stylus simplex est, & omni ornamento destitutus, sed multa in iis pietas elucet, multaque occurrunt eximia consilia, præsertim pro illis, qui vitam agunt solitariam, denique si quis eas legat, facile perspiciet, eum, à quo conscripta sunt, meliorem fuisse christianum, quam peritum scriptorem, magis imbutum præceptis christianismi quam eloquentiæ, pietate quam doctrina & eruditione illustriorem, vid. Nouvelle bibliothèque Tom. 2. p. 67. vel ut in latino exemplari p. 48. Ejusdem regulas ac præcepta ad filios suos monachos, petentes, hoc ipsum ab eo in monasterio Nacalon, exhibet Holstenius in codice regularum part. I. p. 3. seqq. Quamvis autem adhuc incertum sitan genuina illa sint, interea tamen apud Athanasium in vita ejus melioris notæ ad monachos sermo de contemptu rerum mundanarum.

rum, & ad virtutem excolendam adhortatio habetur vid:
opp. Athanas. Tom. 2. p. 449. & seqq. Abrahamus Ecche-
lensis etiam varia Antonii opuscula ex Arabico in lati-
num sermonem translata edidit, regulas nempe, & ca-
nones ad monachos, sententiarum quarundam exposicio-
nes, & ad interrogationes varias easque elegantissimas,
responsiones, quibus adhuc plura succedunt, quæ in
præsenti suo relicturi sumus loco.

§. VI. Antonio jungere forte possemus omnes
illos quos supra ~~borke~~ pabulatores diximus. Plures
horum, qui in Ægypto floruerunt, recentet Sozomenus
H. E. lib. 6. cap. 28. & seqq. eosque inter primos adducit
quendam nomine *Or*, qui ab ineunte ætate vixit in so-
litudine, hymnos assidue in Dei laudem canens. Ve-
scebatur is plantis quibusdam ac radicibus, aquam vero
bibebat sicut invenerat. Cumque literas non didicis-
set, libris opus non habebat, ut reminisceretur; sed
quicquid mente percepérat, nulla unquam delere po-
terat oblivio. Cui addi debent illa, quæ Palladius in
loco citato cap. 9. p. m. 30. de eodem *Or* habet, quan-
do satetur illum primum fuisse illiteratum, postquam
vero ex solitudine in terram habitatam venisset, gra-
tiam ei datam divinitus, ut scripturas expromeret me-
moriter: libro enim dato a fratribus, ita deinceps le-
gisse tanquam peritum literarum. Non hujus dunta-
xat sed & reliquorum pene omnium communis hæc
fuit disciplina: animæ quidem præcipuam curam ge-
rere, eamque ad relinquenda hujus vita bona promtam
ac paratam reddere, orando scilicet, jejunando, ac di-
vinos hymnos canendo; & in his quidem rebus ma-
ximam temporis partem consumere, teste Sozom. H.
E. cap. 32. p. 691. qui etiam ubique fere eximiam ac fere
divinam absque libris scriptis philosophandi rationem
laudavit.

B 3

§. VII.

§. VII. Si sacris liceret miscere profana; primæ
huic classi bibliothecæ eremitarum finem imposituro si-
milia adhuc memoriae succurrerent de Democrito &
Cartesio, naturæ librum præ aliis evolventibus. Ille enim
in eremo philosophica constitutus, libros quidem habe-
bat ex utraque parte adjacentes, quibus tamen crebra
animalium cadavera, per totum dissecta, accumulata
erant. In hac bibliotheca interdum contento studio
scriptioni incumbebat, interdum multum subsistens &
apud se anxie cogitans quiescebat. Abderitæ cives ejus
signa hæc judicabant gravissimi morbi, solius Hippo-
cratis cura tollendi. Cui vero accedenti ad illum &
ex eo quærenti, quid & cur de insania scriberet, re-
spóndit: *Quidnam vero aliud, quam quid si & quomodo*
hominibus innascatur & quanam ratione allevetur. Hac
enim que vides animanitatem, hujus certe rei gratia reseco,
minima Dei opera odio prosequens, iuror. Osū erga, sed biliis
naturam & sedem inquirens. Nostri enim, quod hoc ubi re-
dundarit, ut plurimum hominum insaniam causa est. Qui-
bus aliisque ex eo auditis Hippocrates Abderitis pro-
nunciavit, Democritum virum esse sapientissimum,
qui solus homines ad sanam mentem reducere potest.
vid. Epist. Hippocratis ad Damagetum, editionis Gene-
vensis, p. 1279, seqq. Imitatus eundem fuit, ut in aliis, sic
in hoc quoque Renatus Cartes. Cum enim, inquit,
Petrus Borellus in vita Cartes, p. 8. inter homines veri-
satem illam Democraticam in profundo delitescentem reperi-
re nequivisset, se ad libri mundi suinet contemplationem con-
vertens, anatomia, chymia &c. incubuit, unde admiranda
deprompsit, paucos enim libros volvit, quoniam non veracu-
se sciebat, exceptis mathematicis solis. Quare cum ab ami-
co Alcmaerio percutiatur, an haberet bibliothecam. &
queratur, ut illi eam ostenderet, ablata tela ostendit ei vita-
sum apertum: en meam, inquit, bibliothecam: o! preclarum
dictum

dictum! sic olim Hippocrates Damocritum inter animalia appetita studentem invento.

BIBLIOTHECA EREMITARUM MONOBIAOS, UNO CONTENTA CODICE

§. IIX. Illis relictis, quorum bibliotheca aliorum scriptis vacua fuit deprehensa, ad eos nos convertimes, qui uno contenti codice, vitam in meditationibus sanctisque actionibus transigebant. Est ille codex sacrum librorum volumen, vel utriusque testamenti, vel novi duntaxat, quod diu nocteque, mente manuque versabant. Talem habebat bibliothecam quidam Anachoretarum, cui nomen erat Salomon, qui quinquaginta annos degit in spelunca sibi vicum suppeditans manibus, & didicit totam scripturam, teste Palladio loco cit. cap. 296. p. m. 191. Bisaron quoque unam duntaxat ferens tunicam convenienter evangelicæ traditioni, & parvum superhumerale, nihilque possidens præter hoc necessarium tegumentum, semper quoque habebat parvum evangelium sub axilla, aut ad sui faciendum periculum, num perpetuo voci domini obediret, aut potius gestans sermonem quem erat opere executus. Hic cum vidisset mortuum quandam nudum statim exuit superhumerale eoque illum induit, imo occurrenti nudo pauperi reliquum dedit habitum, ipse nudus sub axilla solum habens verbum, quod facit dantes. Hunc cum observasset Irenarcha quidam transiens, eum interrogavit: quis te exuit? ille vero dextera protendens evangelium: hoc, inquit, me exuit. Quo auditio Irenarcha se sua ueste exuens, illum operuit. Alio vero tempore cum nihil hujus mundi amplius haberet in animo; & in transitu vidisset pauperem,

curiu

cursu in forum contendit, ubi cum paulisper constituitur, vendidit evangelium. Paucis igitur post diebus, qui cum eo erat abbatis discipulus Dulcis nomine, rogavit senem dicens: quid parvo libello factum est o! Abba? cui senex placide dicebat: ne tristitia afficiaris o! frater. Nam ut illic habeamus fiduciam, propter obedientiam vendidi ipsum sermonem, qui mihi semper dicebat: *vende que habes, & da pauperibus.* vid. Palladius l. c. cap. 116. p. m. 206. & seqq. Neque tacendus nobis Marciatus, qui ab omni humana consuetudine separatus, in lege domini die nocteque meditabatur. Orationem quippe psalmodia, hanc excipiebat oratio, & utramque rursus divinorum eloquiorum lectio. Cumque Eusebio atque Agapeto permisisset domunculam quandam sua contiguam extruere, eosdem iussit hymnos dicere, & orare, & divina legere eloquia. Eundem etiam Eusebius noctu deprehendit tenere librum & divinæ voluntatis sacrosanctum inquirere thesauros, lumine non ex lucerna neque aliunde facto, sed a Deo dato ejusque caput circumfulgente, si Theodoreto in historia religiosa cap. 3. p. 274. fidem habemus, qui etiam easdem meditationes cap. 5. p. 300. Pueblo tribuit.

S. IX. Solebant etiam interdum convenire eremiti & secedentes vel ad umbram arboris, vel ad petram aliquam, bibliothecam illam portatilem perlustrabant legendo atque explicando. Fecerunt id Ammannus & Eusebius memorati Theodoreto cap. 4. p. 292. qui sedebant super quandam petram, & divinorum evangeliorum historiam alter quidem legebat, alter vero eorum quæ erant obcuriora explicabat sententiam. Hæc ipsa lectio Eusebio occasionem dedit, ut oculis suis metam posuerit certam, ultra quam tota vita videre noluit. Cum enim quidam agricultor in subiecto

jecto campo terram colerent & ad hanc contemplationem
tractus esset Eusebius, Ammianus vero legisset locum
evangelicum, atque sciscitaretur interpretationem, jus-
sit Eusebius, ut repeteret lectionem. Cum is autem di-
xisset, iis qui arant forte delectatus, minime exau-
diisti, ut est verisimile; suis deinceps oculis legem tulit,
ut neque campum illum unquam contemplarentur, ne-
que coelesti pulchritudine & chori astrorum aspectu frue-
rentur: sed angustissima utens semita, cuius mensuram
ajunt fuisse unius palmi, ferente ad oratorium, extra
eam deinceps plusquam quadraginta annis egredi illos
non est possumus.

§. X. Commune id habuerunt eremiti cum aliis
christianis priorum temporum, qui codices evangelio-
rum in pectore & sinu gestabant, ut vel singuli momentis
eosdem evolvendi haberent occasionem, vel in te-
stimonium fidei catholice & odium heresios eos pra-
ferrent. Hinc etiam factum, ut ex illa evangelii gesta-
tione christiani fuerint a persecutoribus agniti & dete-
cti, ac ab his codices illi flammis traditi. Hinc quoque illud
est, ut si quis christianorum sacros libros potentibus de-
disset gentilium ministris, is traditor celebri apud veteres
Afros nomine, fuerit dictus. Secundus episcopus Tigifata-
nus apud August. in brevi collat. 3. 13. scribit, ad se ipsum missos
a curatore & ordine centurionero & beneficiarium, qui peterent
divinos codices exurrendo, eisque respondisse: christianus sum
& episcopus non traditor; & cum ab eo vellent aliquae ebo-
la (id est rejicula, nullius pretiilibros) aut quodcumq[ue] ac-
cipere, nego hoc eis dedisse, exemplo Eleazar Macchabei, qui
nec fingere voluit suillam se wanducare carnem, ne alius prebe-
ret prævaricationis exemplum. Eadem pluribus loquuntur
acta martyrum, à Baronio ad ann. 303. n. 10. seq. n. 50.
sqq. ann. 304. n. 44. & alibi adducta & excerpta à Jo.
Dalla adversus latinorum traditionem de objecto cultus
religiōsi

C

religiosi lib. I. cap. 25. p. 205. seqq. quibus addi potest *Jos.*
Bapt. Cotelerius in monumentis ecclesiarum græcorum, Tom. I.
p. 192. seqq. Eupli martyris exemplum adducens.

S. XI. Neque haud inepte veteres sacrum codicem tanti estimarunt, ut illum semper haberint in manus. Est enim ea hujus libri utilitas, ut omnia in illo inveniretum possit, quæ ad fidem hauriendam & obsignandam vitamque omnem recte instituendam conducunt. Non nunc dicam, in eo contineri quicquid sapientia humana desideraverit, cum sua hic habeant mathematicus, physicus, moralium politicorumque studiosus & qui non alii, vel complexum illum omnium librorum evolventes, vel unius duntaxat particulae inhærentes. Majora sunt, quæ nos in tanta rerum varietate attentos esse volunt. Exhibetur quippe in illo Jesus Christus, in quo solo salutis humanæ integritas datur, in quo solo genus humaanum justificatur & salvatur. Nec non mysteriis illa plena est, & articulis fidei sublimioribus humani judicij capitulum longe superantibus, quos unusquisque sincere Deum colens adorare, illosque magna cum reverentia & pietate admirari tenet. Historiae quoque in illo leguntur, in quibus est peculiaris singularitas: si iusmodi facta non vera duntaxat sunt, sed & singularia, quæ raro in libro quodam inveniuntur. Visiones quoque multas sacer ille codex recenset, in quibus est admiranda varietas, quibus Deus olim ~~ταύματά της~~ ~~ταύματα της~~ sua proposuit non solum in veteri sed & sub initium novi testamenti. Sunt & somnia multa divina, quibus olim maxima facta à Deo humano generi manifestata, sicuti Elihu loquitur Job. 33. in somno visionis nocturno tempore, si somnus occupat artus, si in lecto cubantes dormiunt, ita aures eorum aperit eosque perterret & castigat. Quodsi & parabolis animum recreare cupis, passim illas in sancto codice legere poteris, tam in vetere quam in novo testamen-

to

eo. Quibus etiam adjungere poteris proverbia, in quibus est pulchra & magna sagacitas, quorum non solum specialem librum conscripsit sapientissimus ille rex Salomon, qui omnes hac arte superavit, sed & undique illa multoties occurunt tam in novo quam veteri testamento. His quoque vaticinii multa sunt conjuncta, quæ accuratissime demonstrarunt eventum rerum praedictarum, uti inter reliqua primum occupat locum de futuro Messia vaticinium; & deficeret nos tempus & calamitus, si in illis omnibus enumerandis longiores essemus. Miracula porro unusquisque admirari tenetur, quæ Deus infinita sua omnipotentia antiquis temporibus demonstravit, quæ necessario indicant & affirmant, esse illum verum & omnipotentem Deum, ejusque verbum sive scripturam S. esse divinitus inspiratam. Neque opus est, ut quis in aliis libris querat regulas ad quas totam vitam & componere & formare debeat, cum sacra scriptura mandata & precepta divina exhibeat, in quibus est summa sanctitas, & divinus zelus. Hæc sine dubio perpendit Basilius M. in epistola prima ad Gregorium theologum de vita in solitudine agenda, Opp. Tom. III. p. m. 45. seqq. Maxima porro viarum ad veri investigationem ferentium meditatio est scripturarum divinitus inspiratarum. Quandoquidem in his quum rerum agendarum praecepta reperiuntur, tum beatorum hominum vita memoria prodita ac perscripta, tanquam simulacra quadam animata proposita sunt vita ad normam divinam instituta, tis quidem qui bonorum operum exemplaria imitari cupiunt. Proinde in qua re quieque nostrum senjerit, se eo, quod oportet, defici; in illo assidue incumbens, tanquam ab officina quadam medicina, appositorum sue infirmitati medicamentum invenire poterit. Ac temperantia quidem homo cupidus, historiam Josephi assidua lectione evolvat: ab ea enim edidicerit actiones temperantia plenas, cum conperaverit eum ad habitum virtutis proiectum esse, ne dum vobis

luptariis in rebus continentia præditum. At vero in fortitudine instituetur lector ex historiâ Jobi, qui vita in contrarium ipsi cedente, ac proorsus immutata, egens ex beato, orbis ex pulchra prolijs parente, unius diecula momento factus, non idem modo suig[em] simillimus mansit, celos animi spiritus ad extreum usq[ue] retinens; sed ne amicis quidem ejus, qui ad consolandum eum venerant, tandem ipsi insultantibus, dolores ejus exacerbando, iracunde irritatus est. Rursus alquis reputans quomodo magnanimus idem & clemens esse posse, ita ut animo quidem obfirmato aduersus peccatum, clementia vero utatur erga homines, illic Davidem inveniet generosum in bellicis facinoribus, clementem & placidum in inimicis ulcicendis. Taliis erat Moses, ingenui ille quidem ira in illos insurgens, qui in Deum peccaverant, sed miti animo perferens illos, qui sibi obiretaverant.

BIBLIOTHECA EREMITARVM ΠΟΛΤΩΒΑΟΣ VARIIS ORNATA SCRIPTIS.

§. XII. Hanc tum eremitarum stricte sic dictorum tum & præcipue eorum solitariorum, qui simul cœnobitæ fuerunt, bibliothecam perlustraturis, varia se nobis offerunt pulpita. Horum primum debetur

S. SCRIPTVRÆ LIBRIS

Pachomius certe in vico Tabennensi, in quo tunc nullus penitus habitator existebat, cœnobitarum autor præcipuus, monachis de meliori nota commendavit bibliorum vel integrum lectionem vel certorum librorum sedulam evolutionem. In regula enim illius, non breviori ista, quam ab angelo eundem in tabula ænea acceptissime volunt, [de qua videndus Palladius l. c. p. 95. sq.] sed prolixiori, quæ in codice regularum, à Luca Holsteno edito, p. 63. lqq. exhibetur, capitulo IV. suis inculcat, ut ad

ut ad collectam vocati , de scripturis aliquid meditentur
usque ad ostium conventiculi : conf. cap. vi . xxviii . Et
cap. cxxii . nec domi voluit eos loqui aliquid seculare .
sed si quid præpositus de scripturis docuerit , ut
vicissim referant , quæ quis audierit , vel quæ me-
moriter teneant . Neminem etiam in numerum mo-
nachorum recepit , qui non prius orationem dominicam
ac psalmos , quæntos potuit , edidicerit ; vid. cap. XLX . vel
ut in cap. CXXXIX . & CXL . pluribus rem proposuit :
Qui rudis monasterium fuerit ingressus , docebitur prius qua
débeat observare : etenim doctus ad universa conservit , da-
bunt ei viginti psalmos & duas epistolæ Pauli , aut alterius
scripture . Et si literas ignoraverit , hora prima & tercia &
sexta vadet ad eum qui docere potest : & qui ei fuerit delega-
tus , stabit ante illum & discet studiosissime , cum omnigratia-
*rum actione . Postea vero scribentur ei elementa , syllabe , ver-*ba ac nomina : & etiam nolens legere compelletur . Et omnino*
nullus erit in monasterio , qui non discat literas & de scriptu-
ris aliquid teneat qui minimum usq; ad novum testamentum
& psalterium . Illis , qui majores habebant profectus , ipse
Pachomius interdum scripturam sacram , & qua forte
difficiliora in ea occurrunt , dilucide explicabat , ut ex
hujus viri vita edocemur : Scripturæ sacra sermones iisdem
exponebat , maxime si qui intellectu occurrerent difficiliores aut
magis abstrusi , de domini incarnatione &c . Non duntaxat
*ipse difficiliora evolvebat , sed & discipulis libertas e-*rat concessa scripturæ alicujus solutionem ab eo dis-**
quirere , quam scripto postea consignarunt , uthac ratio-
ne alii quoque prodesse possent . Eiusdem etiam esse
putantur epistole ad collegas præpositura sua conscriptæ
in quibus alphabetum mysticis tectum sacramentis , ve-
lut humanæ consuetudinis excedens intelligentiam ,
exhibit . Vid . Gennadini de illust. eccles. scriptoribus
cap. 7 . Diversum hoc fuit ab altero , quo juxta numerum
*græcarum literarum xxiv . monachorum turmæ consti-**

uebantur, ita ut singulis turmis imponerentur singula-
rum nomina literarum, id est ab a & deinceps usq; ad o, ue-
cum interrogaret archimandritam de aliquo in multitu-
dine tanta, facili responsione quæsitum cognosceret.

S. XIII. Hieronymus, quoties vel de laude vita
solitaria vel de institutione clericorum aut monachi scriptis,
nunquam non si non unicum, profecto præcipuum sa-
cerarum literarum studium esse voluit. Paulino præci-
pit Tom. I. p. m. 47. Semper in mansueta sacra sit lectio, Ku-
stico monacho vivendi formam prescribens, inter alia
ab eo sequentia l. c. p. 21. b. exigit: Nunquam de manu &
oculis tuis recedat liber: discatur psalterium ad verbum, or-
atio sine intermissione. — Amas scientiam scripturarum, & car-
nis virtus non amabis. Omnes denique vel in solitudine
viventes, vel ad vitam solitariam aspirantes, tales esse
voluit, quemadmodum Nepotianum monachum & presbyterum
in epitaphio loc. cit. p. 17. b. deprendicavit. Sermo ejus per
omne convivium de scripturis aliquid proponere, libenter au-
dere &c. Lectio assidua & meditatione diuturna, pectus su-
um bibliothecam fecerat Christi. Hæc demum vera laus est,
quam nulla delebit ætas, quam æternitas ipsa coronabit!
Ipse etiam Hieronymus in remotissima eremo, quæ Syriam
a Saracenis disternat, per quatuor annos ab hominum
frequentiâ semotus, cum solo Christo cumque libris ha-
bebat commercium. Tempus omne studiis & oratio-
nibus partiebatur, bonam etiam noctium partem his o-
peris addens: minima portio dabatur somno, minor ci-
bo, nulla otio. Studii lassitudinem recreabat oratio,
aut hymaus, mox velut integer ad intermissionem lectio-
nem redibat. Relegebat universam bibliothecam suam
veterum studiorum metroriam sibi renovans; sacras lite-
ras ad verbum ediscebatur. Meditabatur in prophetis, in
eruendis oraculorum mysteriis vigilansissimus. Ex e-
vangelicis & apostolicis literis, velut ex purissimis fon-
tibus,

zibus, Christi philosophiam hauriebat. Primus enim ad
pietatem gradus est, tunc authoris sui dogmata. Le-
ctioni miscebat scribendi studium, cùm jam tum veli-
tans ac præludens tractandis literis divinis. Hoc tem-
pore, nifallor, allegorice interpretatus prophetam Abdi-
am cum historiam nondum intelligeret, quemadmodum
palam ipse testatur in præfatione posterioris interpreta-
tionis, qua juvenilem illam præcipitationem sarcit ac
pensat. Tandem in secessu Bethlehemeticō, quem ven-
ture se neectuti sedem delegerant, omne vitæ tempus aue-
sacris dabat psalmis, aut vertendis sacris voluminibus,
aut edisserendis divinis literis, quas fratribus ac mulierib-
us assidue prælegebat. Testes sunt tot commentarii,
tot translationes exhebraica veritate, & his illisq; præ-
missæ præfationes. Una harum instar omnium, Salomonis
proverbii adjecta, tom. iv. p. 10. b. abunde testabitur, de his
non duntaxat quæ diximus, sed & de subsidiis scriptiori
aliunde suppeditatis: Commentarios, inquit, in Osee, Amos &
Zacharia, Malachiam quoq; poscit: scripsisse si licuisset præva-
terudine. Attitius solita sumptuum: notarios nostros & librarios
fustentatis, ut vobis potissimum nostrum defuderet ingenium. Et
ecce ex latere frequens turba diversa poscentum: quasi aut
equum sit me vobis esurientibus, & alii laborare: aut in ra-
tione dati & accepti, unquam præter vos obnoxius sim. Itaque
longa agoratione fractus, ne penitus hoc anno reticerem, &
apud vos mutuus essem, tridui opus nomini vestro consecravi,
interpretationem videlicet trium Salomonis voluminum. Hu-
jus quoque consilio factum, ut sub Paula ductu nec lice-
ret cuiquam sororum ignorare psalmos, & non de scripturis
sanctis quotidie aliquid discere. Vid. epitaphium Paula ma-
tris Tom. I. p. 84. b. Eidem & filia exponebat scripturas
sanctas, ut ibidem idem p. 86. a fatetur: Compulit me
ut verius & novum testamentum, cum filia, me differente, per-
legeret. Quod propter verecundiam negans, propter aspidi-
zationem

tatem tamen & crebras postulationes ejus prestiti: ut docerem
quod didiceram: non a me ipso, id est, a presumptione, pessi-
mo praeceptore, sed ab illustribus ecclie viris. Sicubi hestia-
bam & nescire mi ingenue confitebar, nequaquam mihi voluit
acquiescere, sed iugi interrogatio cogebat, ut e multis va-
riis sententiis, que mihi videretur probabilior, indicarem.
Sed ne circa solum Pachomium & Hieronymum hære-
re videamur, his adhuc accedat Ammonius, qui ob fugam
episcopatus sinistram sibi abscidit aurem, paratus etiam si-
bi excindere linguam, si eum ulterius voluissent cogere
ad dignitatem illam suscipiendam. Huic a Palladio l.c.
cap. 12. p. 36. tribuitur laus ista, quod vetus & novum te-
stamentum dicere potuerit memoriter.

¶. XIV. Id vero hoc loco tacendum non esse pu-
to, quod pro statu & conditione solitariorum sive mo-
nachorum nunc haec nunc illa ex sacro codice legenda
suaserint vitæ in solitudine agendæ directores. Sic enim
Basilius M. in regulis brevioribus Opp. Tom. II. p. m. 705.
quest. 235. Numquid expeditat multa ex scripturis edificare?
distincte respondet: Sane cum magis generales ordines duo
sint: videlicet eorum, quibus credita alitorum gubernatio est:
& eorum, qui obtemperare, atq. obedire aliis iusti sunt in dif-
ferentibus donationibus, eisdem sic existimo, cui aliorum re-
ctio procuratio, commissari, eumque apud omnes scripta sint,
scientia comprehensa habere, ac edificare debere, ut cunctos do-
ceat multiplicem Dei voluntatem, singulis pramonstrando officio
suo. Deceteris vero unusquisque, memor verborum illorum apostoli:
non plus sapere quam oportet sapere ad sobrietatem, uni-
cuique sicut Deus divisit mensuram: qua officii sui sint studio-
se discat & perseguatur, neq. curiose ulterius quicquam inquirat,
ut vocem Dei illam mereatur audire: Ades serve bone, super
pauca fuisti fidelis, super multa te constituam. Idem et-
iam in epistola ad Chilonem discipulum anachoretam
ex monacho Opp. Tom. III. p. 4. novi testamenti lectio-
nem

nem præcipue commendat: Crebram lectionem novi prefertim testamenti ne leví ex causa transmiséris: quod ex veteris lectione identidem nec pauci noxiam contrarerint, non quia scripture illa ulla ex parte noxia sint, quando id contingit per infirmam eorum, qui noxiam contrahunt, mentem. Panis enim suæ natura comparatus est nutriendo corpori, tametsi noxiam adferit infirmo. Idem scripture omnis divinitus inspirata, non mediocrem ex se usum conciliat attento lectori, nihil suæ genio habens admixta impuritatis aut commune: nisi si quis ipse profanus illam nullo suo merito profanam communem censuerit, illi communis esto. Ipse porro omnia ut probes, velim: quod bonum esse comprobaris, id demum mordicus tuetur ac retinet. Similia dabit Nilus lib. 4. ep. 1. Hitamen novum testamentum commendantes, non excludent quosdam veteris testamenti libros, psalterium scilicet, proverbia, ecclesiasten, aliosque, quos præ reliquis legendos eremiti, monachisque injungebant, ut ex supra dictis hæc constare poterunt.

¶. XV. Relicto priori pulpito ad alterum prægredimur, quod nobis sicut

S. PATRVM SCRIPTA.

In hac, qua nunc versamur, bibliothecarum classe præter scripturas sacras & alii erant repositi codices. Videntur id indicare aliquot capitula regulæ Pachomii; nim. cap. XXV. in quo præcipitur: codicem si ad legendum perierint, accipiant; & finita hebdomade, propter eos, qui succedunt in ministerium, suo restituant loco, conf. cap. CXLIV. Scilicet hebdomadarius, scilicet minister hebdomadis, erat simul biblio. thecarius, cui, cum singulis hebdomadibus alias succederet, restitui semper debebant libri, ut is suo quoque inveniret loco. Capitulum C. injungit, ut nemorevadens ad collectam aut ad recessum dimittat codicem non ligatum. Codices qui in fenestra, id est intrinsecu parieti reponuntur ad

D

vesperam,

vesperam, erunt sub manu secundi, qui numerabit eos, & ex
more concludet. Si porro ad Hieronymi eremum
redire placebit, instructissimam ibidem inveniemus
bibliothecam, alibi magno studio magnisque sumti-
bus paratam atque eo deportatam, quam nec in so-
litudine augere cessavit. Sic enim ipse in epistola sexta
ad Florentium tom. l. opp. p. 23. b. scribit: Ego obsecro, et
tu ut petas plurimum quofo: ut tibi beati Rheiſti Augusto-
dunensis episcopi commentarios ad scribendum largiatur: in
quibus canticum cantorum sublimi ore differtur. Scripsit mihi
& quidam de patria supra dicti fratri Ruffini, Paulus senex,
Tertulliani suum codicem apud eum esse, quem vehementer re-
posuit. Et ex hoc quofo: ut eos libros, quos me non habere
brevis subditus edocebit, librarii manus in charta scribi jubent.
Interpretationem quoque psalmorum Davidicorum, & proli-
xiūm valde librum de synodis sancti Hilarii, quem ei apud Tre-
viro, mansa mea ipse descriperam, ut mihi transferas, peto.
Noſti hoc esse anima pabulum, si in lege domini meditetur die
ac nocte. — Mihi si rogata praefiteris, cuncta largius es. Et
quoniam largiente domino multis sacra bibliotheca codicibus ab-
undamus, impera vicissim, quodcumque vis, mittam. Vides
ex hoc loco, quod multos etiam in eremo, in qua episto-
lam illam exaravit, libros habuerit & adhuc plures pa-
trum codices describi curaverit. De eadem re alii quo-
que testantur libri Hieronymiani & eos inter catalogus
scriptorum ecclesiasticorum, quorum scripta pleraque
habuisse videtur. Etsi enim in praestatione fateatur, Eu-
sebium Pamphili in decem historiae ecclesiasticae libris,
maximo adjumento sibi fuisse, illi tamen jungit singu-
lorum, de quibus scripturus erat, volumina, que ſæpe
autorum aetas indicabant. Hinc etiam excusat omis-
ſionem recentiorum scriptorum, cum ea nondum lege-
rit. Si quis autem, inquit, de his, qui usque hodie scripti-
tant, a me in hoc volumine pretermisi sunt, sibi magis quam
mihi

mibi debent imputare. Neque enim celantes scripta sua, de his qua non legi, nosse potui. Et quod alii forsitan sit notum, mibi in hoc terrarum angulo fuerit ignotum. Certe cum scriptis suis claruerint, non magnopere nostri silentii dispendio suspirabunt. Liceat his iterum dare locum, quem supra nominavimus, Ammonium, apud Palladium loc. cit. cap. 12. p. 36. qui in doctorum virorum Athanasii & Basilii scriptis ita erat versatus, ut decies mille & sexcentos versus proferret, quemadmodum de eo ferebant testimoniun magni quoque patres in solitudine. Imo nec advenas in otio vivere permittebant eremitæ. Arsacius enim & ii, qui cum eo erant, venientem hospitem accipiebant, etiam si biennium aut triennium voluerit manere, donec velit sua sponte recedere: permittentes ei una hebdomada manere in otio. Aliis autem diebus ipsum ducebant ad opera, aut in horto, aut in pistriño, aut in coquina. Quodsi fuerit quispiam cuius sit habenda ratio, dabant ei librum legendum, non concedentes ei, ut cum ullo colloquatur usque ad horam sextam Vid. Pallad. loc. cit. cap. 7. p. 26.

§. XVI. Inter haec patrum scripta memorantur etiam aetistica & moralia, rudioribus quoque solitariis commendata. Sic Cypriani libellum de oratione ut Valentinus & cum illo monachi sedulo legerent, monuit Augustinus libro de gratia & libero arbitrio cap. 13. Opp. tom. 7. p. m. 283. H. Commoneo autem charitatem vestram & multum exhortor, ut beati Cypriani librum, quem script de oratione dominica, diligenter legatis, & quantum vos dominus adjuverit, intelligatis, memoriq. mandetis. Ibi videbitis quemadmodum sic alloquatur liberum arbitrium eorum, quos conscriptione sui sermonis adificat, ut ostendat tamen ea, que implenda videntur in lege, in oratione esse poscenda. Idem etiam retractationum lib. 2. cap. 3. p. m. 10. scribit, quod fratrum in gratiam stylo humili librum de agone christiano

christiano, qui varias vitæ regulas continet, consignaverit: *Liber de agone christiano fratribus in eloquio latino interuditis humili sermone conscriptus est, fidei regulam continens & precepta vivendi.* Nullum præterea dubium est, foliarios illos habuisse & illos libros, quos patres vel adipios vel ad alios scripserunt, quorum catalogum prolixum, si id nunc ageremus, dare possemus.

§. XVII. Tertium quod se nobis offert pulpitum exhibet

VITAS SANCTORVM MARTYRVM RVMQVE ACTA.

Sic enim Postumianus ab oriente regressus Sulpitio Severo refert de virtutibus monachorum orientalium dialogo 1. cap. 23. libellum de vita Martini in eremo fusile lectum: *bis, inquit, Egyptum Nitriam, Thebaidam, ac tota Memphis regna transiit: hunc ego in eremo a quadam sene legi vidi, cui cum me familiarem tuum esse dixisse, & ab illo & à multis fratribus hac mihi injuncta legatio est, ut si unquam terras istas te incolumi contigissim, ea te supplere compellerem, que in illo suo libro de virtutibus beats' viri professus es præterisse.* Nilus etiam, supra nobis jam memoratus, religiosis & solitariis, in quorum gratiam multa scripsit, suadet, ut præter novum testamentum, acta martyrum, vitas, exempla & sententias antiquorum omni cura legant.

§. XVIII. Pedem ex hac bibliotheca efferre volenti remoram adhuc injicit arca quædam sive pulpitum, in quo reclusi habentur

LIBRI PROHIBITI SECVLARES ET HAERETICI.

Hos illosque adire cuivis licitum non erat, nisi forte doctioribus, monasteriorumque præpositis, qui novabant

verant, quid distent æra lupinis; qui noverant, ut cum
Erasmo in vita Hieronymi loquar, ex sterquilinio lege-
re aurum, e fructibus melleum desumere succum, ara-
næ suæ relinquentes venena: qui jam tum ab Ægyptis,
quicquid poterant, convasabant, hostium opibus domi-
ni templum locupletaturi. Aliis vero lectionem pri-
mo scriptorum profanorum sive *secularium* omnibus
dissuadebant modis, remque homine solitario indi-
gnam arbitrabantur. Audiamus Hieronymum in
epistola ad Damatum de filio prodigo Opp. tom. 4. p.m.
57. C. D. præsens negotium tangentem: *Possimus & a-*
liter si quis interpretari. *Demonum cibus est carmina poeta-*
rum, secularia sapientia, rhetororum pompa verborum. *Hec*
sua omnes suavitate delestant, & dum aures versibus dulci mo-
dulatione currentibus capiunt, animam quoq; penetrant, & pe-
ctoris interna devincunt. *Verum ubi cum suæmo studio fue-*
rint ac labore perlella, nihil aliud, nisi inanem sonum & sermo-
nū strpitum suis lectoribus tribuunt: nulla ibi saturitas ve-
ritatis: nullarefælio justitia reperitur. *Studioſi earum in fi-*
ne veri & virtutum penuria perseverant. *Præcipue autem*
indignatur ibidem, sacerdotes Der, omisſis evangeliis & pro-
phetis comædias legere, amatoria bucolicorum versuum
verba canere, tenere Virgilitum, & id quod in pueris necessaria
est, crimen in se facere voluptatis: Iisdem rationibus mo-
tus Eustochium Paulæ filiam, quæ perpetuam virginitatem amplexa, solaque matri Bethlehem demigranti co-
mēs fuit, a librorum secularium lectione in epistola ad
illam de custodia virginitatis opp. tom. 1. p. 66. D. dehor-
tatur: Qua enim communicatiō luci ad tenebras? qui conſen-
ſus Christo cum Belial? Quid facit cum psalterio Horatu?
enm evangeliis Maro? cum apostolis Cicero? Nonne ſcanda-
tizatur frater, ſi te viderit in idolio recumbentem? Et lices
omnia mundi mundis & nihil rejiciendum, quod cum gratia-
rum actione percipitur, tamen ſimil bibere non debemus cali-

cens Christi & calicem dæmonorum. Suo deo exemplo
ac damno eandem ab amore profanorum scriptorum de-
ducere vult. Referam tibi meæ infelicitatis historiam,
„Cum ante annos plurimos domo, parentibus, sorore,
„cognatis, & quod his difficultius est, consuetudine lau-
„tioris cibi, propter cœlorum me regna castraalem: &
„Hierosolymam militatus pergerem, bibliotheca, quam
„mihi Romæ summo studio ac labore conseceram, care-
„re non poteram. Itaque miser ego lecturus Tullium je-
„junabam. Post noctium crebras vigilias, post lachrymas:
„quas mihi præteritorum recordatio peccatorum ex-
„imis vilceribus eruebat, Plautus sumebatur in manus.
„Si quando in memet reversus prophetas legere coepis-
„sem, sermo horrebatur inctus. Et quia lumen coecis
„oculis non videbam, non oculorum putabam culpam
„esse, sed solis. Dum ita me antiquus serpens illude-
„ret: in media ferme quadragesima medullis infusa fe-
„bris corpus invasit exhaustum: & sine ulla requie
„(quod dictu quoque incredibile sit) sic infelicia mem-
„bra depasta est, ut ossibus vix hæcerem. Interim pa-
„rantur exequiae: & vitalis animæ calor, toto frige-
„scente jam corpore, in solo tantum tepente pectusculo
„palpitabat: cum subito raptus in spiritu ad tribunal ju-
„dicis pertrahor: ubi tantum luminis, & tantum erat
„ex circumstantium claritate fulgoris: ut projectus in ter-
„ram, sursum spicere non auderem. Interrogatus de
„conditione; christianum me esse respondi. Et ille qui
„præsidebat: mentiris ait: Ciceronianus es, non chri-
„stianus: Ubi enim thesaurostuus, ibi & corrutum. Il-
„eo obmutui, & inter verbera (nam cœdi me jussérat)
„conscientiæ magis igne torquebar: illum mecum ver-
„siculum reputans: In inferno autem quis confitebitur
„tibi? Clamare autem coepi & eiulans dicere: Miserere
„mei domine, miserere mei. Hæc vox inter flagella
refo-

resonabat. Tandem ad præsidentis genua provoluti,,
qui astiterant, precabantur, ut veniam tribueret ado,,
lescentiæ, & errori, locum pœnitentiæ commodaret:,,
exacturus deinde cruciatum, si gentilium litterarum,,
libros aliquando legissim. Ego qui in tanto confri,,
ctus articulo: vellem etiam majora promittere: deje,,
rare coepi, & nomen ejus obtestans dicere: Domine,,
si unquam habuero codices fæculares: si legero, te ne,,
gavi. In hæc sacramenti verba dimissus, revertor ad,,
superos: & mirantibus cunctis, oculos aperio: tanto,,
lachrymarum imbre perfusos: ut etiam incredulis fi,,
dem facerem ex dolore. Nec vero sopor ille fuerat,,
aut vana somnia, quibus sæpe deludimur. Testis est,,
tribunal illud, ante quod jacui: Testis judicium triste,,
quod timui. Ita mihi nunquam contingat in talem,
incidere quæstionem: liventes habuisse scapulas, pla,,
gas sensisse post somnum, & tanto dñhinc studio di,,
vina legisse: quanto non ante mortalia legeram. Hæc
est, inquit Erasmus ad hunc locum illa fabula, quam
memoriter tenent omnes etiam ii, qui ne verbum qui,,
dem unquam legerunt in scriptis Hieronymianis. Va,,
pulavit, inquit, Hieronymus, quod Ciceronem le,,
gerit. Nostrum nunc non est, in rei veritatem pluribus
inquirere, cum ante laudatus Erasmus de hac re egerit
tum in dialogis, quos antibarbaros inscripsit, tum etiam
in Hieronymi vita, ubi cuivis librum relinquit in quo
loco malint Hieronymo habere fidem, an illic, ubi
Ruffino respondens satis ridet hominis curiositatem,
cui non satis esset observare quid vigilans diceret aut
ageret: verum etiam quid dormiens somniaret; & adeo
fatetur fuisse somnum, ut illud conferat cum prodi,,
giofis illis noctium ludibriis, quibus aliquoties sibi vide,,
re alatus volare cum Dædalo per maria, nonnunquam
comatus esse, cum esset calvaster: interdum sumpta
toga

toga, causam dicere pro rostris? An hic ubi deterret
virgunculam ab immodico studio librorum prophano-
rum negat fuisse somnium, sed experectum repperisse
scapulas liventes? Præterea videant utrum credere ma-
llint seni, an adolescenti? Somnium non fuisse, scripsit ado-
lescentulus: Somnium fuisse, scripsit tenex. Quicquid
de eo sit, id certum esse putamus, hoc nunquam sensisse
Hieronymum, non esse legendum Ciceronem, sed in hoc
duntaxat, ut divina rectius intelligamus, & commodius
tractemus, quod ipsius Hieronymi exemplo, hæc studia
non negligentis, infra statim ostenderemus. Sed non so-
lus hic est, qui virginibus sacris aliisque solitariis hæc
præscribit, cum etiam Isidorus Pelusiota similia inculcat
lib. I. epist. 63. Thaleao monacho: *Quis te, inquit, comi-
cis salibus non perstringat? Quis te non commiseretur, qui cùm
in philosophia discipulorum Domini tranquillitate sedeas, gen-
tilium historicorum & poëtarum tumultum atq[ue] astum secum
trahas? Quid enim, dic queso, apud illos est, quod religioni
nostra sit preferendum? Quid non mendacio ac risus catet, ex
iis que magno studio confectantur? An non divinitates ex vi-
tiosis affectionibus? An non fortia facinora pro virtiosis affec-
tionibus? An non certamina pro virtiosis affectionibus? Quam-
obrem ipsam quoque fæditatis & obscenitatis lectionem fuge(nam
ea miram ad aperienda vulnera jam cicatrice obducta vim ha-
bet:) ne aliqui vebentiori cum impetu spiritus improbus
revertatur, ac deteriorem & perniciosorem tibi priore ignoran-
tia aut negligentia cladem inferat. Iungi his potest Nilus
I. 2. epist. 49. & 73.*

§. XIX. Interea tamen hi ipsi ea scripta, quæ aliis le-
genda interdixerunt, suos in usus converterunt, cum
veri falsique discrimina non duntaxat probe sciverint,
sed etiam his armis homines seculares aggredi potuerint.
Hinc Hieronymus in epistola quadam Tom. 3. opp. p.
m. 148. D. Magno oratori Romano quærenti, car in opu-
sculis

seculis nostris, secularium literarum interdum ponamus excep-
pla: & candorem ecclesia ethnorum sordibus polluamus? re-
sponsum breviter dedit: Nunquam hoc quereres, nisi te
etatum Tullius posideret, si scripturas sanctas legeres, si inter-
pretes earum, omisso Volcacio, evolvere. Ostendit deinceps quid
scriptores veteris novique testamenti de gentilium li-
bris assenserint. Græcos item ac latinos producit pa-
tres, qui omnes in tantum philosophorum doctrinis at-
que sententiis suos refaciunt libros, ut nescias quid in
illis primum admirari debebas, eruditionem seculi, an
scientiam scripturarum. De se ergo concludit: Quid
mirum, si & ego sapientiam secularem propter eloquii venn-
starem: & membrorum pulchritudinem, de ancilla atque ca-
piva Israëlitidem facere capio? et si quicquid in ea mortuum
est, idolatria, voluptatis, erroris, libidinum, vel prerido,
vel rado? Et mixtos purissimo corpori vernaculaos ex ea ge-
nero domino Sabaoth? Labor mens in familiam Christi profi-
cit. Similiter Isidorus Pelusiota, ut cuivis, vel ex for-
tuita inspectione diversarum epistoliarum patere potest,
gentilium monumenta sepe citavit, commode applica-
vit, & vel per ista illustravit, sua vel illorum absurdæ
fœdaque detexit.

§.XX. Præter seculares illos libros observamus etiam
arcæ supra nominatae inclusos hereticos, qui vel ecclesiæ
judicio tales fuere habiti, vel quorundam opinione dun-
taxat in eorum numerum relati. Ex omni turba illo-
rum unius Origenis liceat nunc facere mentionem, sed
ita, ut nostrum non faciamus in præsenti disquirere,
hæresis ne sit an error, qui illi tribuebatur. Hujus cer-
te scripta non cuivis legenda permittebantur & præci-
pue monachorum & fratrum manibus in quibusdam lo-
cis excutiebantur. Pachomius noster aliquoties huc
usque citatus, ut habeat etate suppar vitæ illius autor, in
actis sanctorum ad decimam quartam Maji, p. 304. uni-


vorsas fratres sollicitius admonebat, ut non solum ipsi Origenis commenta non legerent, sed neque legentibus quidem aurem penitus admoverent. Unde fertur aliquando reperisse volumen ejus, & in aquas missis coatinuo, testatus his verbis: Nisi scirem nomina Dei in eos esse conscriptum, garrulitates blasphemiarum ejus ignibus concremassem. Credo id factum esse ex illorum temporum more, quo plurimi in Origenis & ab eo scriptorum damnationem ferebantur. Autor hujus rei est opp. tom. 2. Hieron. p. m. 101. D. seq. Pamphili in apologia pro Origeni scripta, qua testatur, quosdam ad versus eos, qui haec legunt hostiles inimicitias sumere, tam pernaciter id agentes, ut nulla prorsus venia eos dignos haberi putent, ne ea quidem, quam impartiri solet (verbigratia) his, qui gravorum secularium libros, vel nonnunquam etiam hereticorum percutiandi atq; cognoscendi studio decurrent: sibi solis feliciter concedi debere peritiam probandi sermonis putant, ut, si quid bene ab aliquo dictum est, retinere sciant, ab omni specie mala abstinerese noverint. Ab his vero qui Origenis libros legunt, istud penitus exclusum putant esse mandatum: quo probabiles jubentur effici trapezitae, scientes quod bonum est retinere, ab omni autem specie mala se abstinere: sed tantummodo se legere libros illius vix fuerit, statim ab his hereticorum profundatur infamia. His jungendus esse videtur frater ille Faustinus, de quo Hieronymus in epistola ad Tranquillimum Tom. 3. p. m 143. refert, cum penitus respuisse Origenem. Theophilum & Epiphanium collecta etiam synodo lectionem librorum Origenis prohibuisse & ut Joannes quoque episcopus ab iis legendis abstinaret voluisse, notarunt Socrates H. E. 6. 9. B. c. 10. D. p. 315. c. 12. p. 319. c. 13. 16. sq. & Sozom. H. E. 8. 14. p. 775. seq. Postumianus ille in dialogo primo Sulpitii Severi cap. 6. memorat foeda inter episcopos & monachos certamina, ex ea

OC-

occasione, quia congregati in unum s^epius sacerdot^es
frequentibus decrevisse synodis videbantur, ne quis Ori-
genis libros legeret aut haberet: respuendam esse peni-
tus lectionem, qua^e plus esset nocitura insipientibus,
quam profutura sapientibus. H^ac illi aliique quos da-
bit Huetius Origenianorum lib. 2. cap. 3, ubi & ea addu-
cit, quae ad Origenis laudem aut excusationem facere
possunt.

§. XXI. Plura possemus iis similia proferre de alio-
rum vel errantium vel hæreticorum libris, nisi alia ju-
berent hac vice eos relinquere intactos. Plurima quoq;
superioribus adhuc potuerint adjici, si ad etatem S. Be-
nediti aliorumque descendere nobis animus fuisset. H^ac
nihilominus sufficere puto, ut desiderio de noscendis pri-
scorum eremitarum bibliothecis qualicunque ratione sa-
tisfiat. Si vero alicui steriles nimis exiguaeque vis^e sue-
rint illæ bibliothecæ, isti liberrima a nobis conceditur fa-
cultas, variis antiquorum recentiorumque scriptis eas-
dem augendi ornandique. Habebit is gratias magnas,
sed maiores imo maximas, si nostras etiam, æque steriles,
suis voluerit locupletare donariis.





Farbkarte #13

	Blue	Cyan	Green	Yellow	Red	Magenta	White	3/Color	Black	B.I.G.									
Inches	1	2	3	4	5	6	7	8	9	10	11	12	13	14	15	16	17	18	19
Centimetres	2.54	5.08	7.62	10.16	12.70	15.24	17.78	20.32	22.86	25.40	27.94	30.48	33.02	35.56	38.10	40.64	43.18	45.72	48.26

OTHECAS MUSITARVM TERVM

O. M. A.

Præente

EA SCHMIDT.

MARIÆVALLENSI

sdemque & Antiquitatum

of. Publ. Ordinis sui

Seniore

oculis perlustrandas
dabit

onsurus Autor

DERICVS Engelbrecht /

Innoveranus,

aji MDCCCI.



T 154

Welmstadt,

Fg. Hamm, Acad. Typog.